

V C
1159





3 QK. 47
A. 14, 7.



Q. D. B. V.
DE
IDOLOLATRIA
VETERUM MISNIAE
INCOLARUM,

Benevolò Indultu

Amplissimi Ordinis Philosophici

In

ACADEMIA LIPSIENSI

Publicè disputabunt

P R A E S E S

M. AMADEUS Schmeltz /

Lommac. Misn.

&

R E S P O N D E N S

ESAIAS Wagner / Hohenstein. Misn.

S. S. Theolog. Stud.

d. XIV. Septembr. A. C. M. DC. XCVIII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

U. 10. 6.



IBOLOEATRIA
VETTERUM MESSIAE
INCOLARUM



Dr. med. J. G. M. C. Z. C. N. N.
H. L. O. G.

H. L. O. G.
H. L. O. G.





IN NOMINE JESU!

CONSPECTUS THESIUM.

- I. *Causa hujus tractatûs.*
- II. *Inquisitio in ἔτυμον idololatriæ, hujusque definitio.*
- III. *Qui Misnia Incolæ intelligendi sint.*
- IV. *De Mercuriô.*
- V. *De Marte.*
- VI. *De Hercule.*
- VII. *De Iside.*
- VIII. *De Hertbô s. Hertbâ.*
- IX. *De Sole, Lunâ & Igne.*
- X. *De Suantewitziô.*
- XI. *De Zernebocô, it. de Belbuchô s. Juterbocô.*
- XII. *De Radegastô.*
- XIII. *De Irmensulâ.*
- XIV. *De Cuttiberô s. Zuttiberô.*
- XV. *De Pronone.*
- XVI. *De Crodone.*
- XVII. *De Flinsîô.*
- XVIII. *De Hennîlô.*
- XIX. *De Cedutô.*
- XX. *De Rugievithô, Porevithô, Hasibundô & Podagâ.*
- XXI. *De Siwâ l. Syebâ.*
- XXII. *De Triglâ.*
- XXIII. *De Cizâ.*
- XXIV. *De Sacerdotibus veterum Misniæ Incolarum.*
- XXV. *De Lucis ipsorum.*
- XXVI. *De fluminibus sacrisque fontibus, it. de fanis eorundem.*
- XXVII. *Quamdiu crassissimis hisce erroribus Misnia involuta fuerit.*
- XXVIII. *Quòd resurrectio mortuorum veteribus harum terrarum, habitatoribus non fuerit ignota.*
- XXIX. *Conclusio totius dissertationis.*



§. I.

X variis thematibus, in quibus elaborandis meam haud malè etiam collocare operam atque industriam potuissem, in primis arrisit præsens, *de Idololatriâ veterum Misnia Incolarum*: præsertim cum non delectare istud modò, quod quidem res omnes solent ex antiquitate petita, verùm etiam prodesse aliquâ ex parte videbatur. Siquidem abs re non fore arbitrabar, si perspicuè & in compendiò legi posset, quibus exoptatissima quondam patria nostra idolis litaverit, antequam videlicet clarior evangelii lux eam illustrare, ac purior in illâ veritas firmiores figere radices cœperit. Faxit itaque Deus nunc feliciter, conatibusque nostris, dum levi quidem ac brevi illud penicillò adumbrare conamur, ex altò ita benedicat, ut omnia cedant in nominis sui divini gloriam, nostrumque emolumentum!

§. II.

Initiò autem, ne contra leges bonæ methodi quid admisisse videamur, ante omnia necesse habemus, ut, sicuti in omni propè re cognoscendâ terminorum, quibus utimur, non inutiliter præmitti solet explicatio, ita & hic in limine disputationis adhuc constituti, quid idololatria sit, quidve denotet, breviter statim explicemus. Notissimum igitur est, idololatriam vocem esse origine græcam, ac derivari quidem ἀπὸ τῆς εἰδώλης, quod significat simulacrum, effigiem, imaginem, & ἀπὸ τῆς λατρεύειν, quod idem est ac servire, sacrificare, religiosè colere. Unde cum ἡ λατρεία servitus seu cultus religiosus iterum deducatur, idololatria nihil aliud est, quàm cultus simulacrorum religiosus,

sus, quò vero Deo honor debitus derogatur, ac fictilibus
ejusmodi imaginibus è contrariò tribuitur.

§. III.

Sed quos per *veteres Misnia incolas* intelligamus,
nunc quoque exponendum est. Horum nomine maximè
nobis veniunt *Hermunduri*, vetustissimi, de quibus quidem
certò constat, Misniæ habitatores, *Slavique*, quos & *Vene-*
dos aliàs ac *Sorabos* cognominatos triquetras istas inter Al-
bim, Salam & montes Hercinios sitas terras incoluisse o-
lim, certum est. Videantur *Phil. Cluverius in Introduct.*
in Univers. Geograph. Lib. III. Cap. 6. Albinus rer. Misn. Com-
ment. Lib. I. tit. III. p. 43. it. tit. VI. p. 72. & ipse Dn. Lic. Re-
chenbergius, Patronus, Hospes ac Præceptor noster summè de-
venerandus, in peculiari dissertatione *de Veteri Osterlandiâ*
§. 38. & 40.

§. IV.

Quare ut ab *Hermunduris* ordiamur, summus haud
dubiè eorum Deus fuit *Mercurius*, utpote quem omnes fe-
rè Germani maximò in honore quondam habuère. Id
quod suâ roborat assertione *Tacitus, Germani*, inquit,
Deorum maximè Mercurium colunt, *Lib. de Moribus Germ.*
Cap. 9. Cui ita *Cæsar* in *Celtis seu Germanis Lib. VI. Com-*
ment. Bell. Gall. Cap. 17. suffragatur: *Deum maximè Mercu-*
rium colunt, hujus sunt plurima simulacra &c. Ipsos autem
Hermunduros divinos *Mercurio* exhibuisse honores, expres-
sè *Tacitus* alibi testatur, quando videlicet *diversam ab Her-*
munduris aciem Marti atque Mercurio sacratam fuisse, assertit
Lib. XIII. Annal. Cap. 57. Quibus ex verbis haud inscitè
colligit *Gerhardus Johannes Vossius Lib. I. de Idol. Cap. 37.*
longè alium fuisse Germanorum hunc *Mercurium*, quàm
illum Romanorum, qui ingeniorum præses atque Deo-
rum nuncius creditus fuit. Germanicus enim iste *Mercu-*

rius, qui & *Theutates* vel *Theutanes*, ac aliò nomine quoque *Wodan* dictus fuit, cum literaturâ, facundiâ vel negotiatione nihil planè commune habuit; quin potius veritati magis consentaneum sit, ipsum rei præfectum militari fuisse. Præterea etiam summus hic omnium Deorum fuit, cum is è contrariò non solum *Jove*, sed cunctis *Saturni* liberis inferior haberetur. Cæterum ad proprium *Mercurii* hujus cultum quod spectat, eundem apud *Hermunduros* cum *Marte* habuit communem, uti paragraphus quidem sequens fusiùs docebit.

§. V.

Mercurium itaque sequatur *Mars*, communis omnium ethnicorum Deus, teste *Pomponiò Melâ Lib. II. Cap. 1.* quem aliàs Romani *Hesum*, ipsi verò Germani absque terminatione hâc latinâ *Hees* vel *Hies* appellare consueverunt. Vid. *Vossius de Idol. Lib. II. Cap. 33.* Hunc etiam *Hermunduros* coluisse, iisdem verbis nobilis ille *Annalium* scriptor indicat, cum scilicet *diversam aciem Marti atque Mercurio ab Hermunduris sacratam fuisse*, affirmat *Lib. XIII. Annal. Cap. 57.* Fuit autem hic ipse *Mars* veteribus Germanis Deus propriè bellorum, id quod ex verbis *Taciti* jam allegatis non modò satis patet, sed quod & *Cæsar* haud obscure probat, *Lib. VI. Comment. Bell. Gall. Cap. 17.* de *Celtis* ita scribens: *Martem bella regere arbitrantur. Hunc concessis animalibus placant, Tacitus ait Lib. de Moribus Germ. Cap. 9.* Ipsi tamen non minùs ac *Mercurio* humanas quoque hostias oblatas fuisse, citatò antea jam locò idem author tradit: *Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Inprimis verò hic observari meretur, *Martem* quandoque etiam vocari Deorum maximum. Tencteri apud *Tacitum Lib.*

IV. Histor. Cap. 64. eundem nominant communium Germaniæ Deorum præcipuum. Quibus non minus quoque ad- stipulatur Procopius, Gothicarum rerum Lib. II. de Sueoni- bus ac reliquis Scandinaviæ peninsulæ incolis ita loquens: τῶν ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἀνδρωπὸς ἔστιν, ὅνπερ ἀνδραδά- λωτον ποιήσασιν πρῶτον, τῆτον γὰρ τῷ Ἄρει θύσιν, ἐπεὶ θε- ὄν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον, id est: Hostiarum illis pulcherri- ma est homo, quem omnium primum in præliò ceperint. Hunc Marti immolant, ut quem Deorum maximum ducunt. Quæ fanè omnia è diametrò videntur repugnare iis, quæ paulò ante de Mercuriò ex ipsò Tacitò Casareque recensuimus, eum nimirum maximè à Germanis cultum fuisse. Sed re- ctè ad hæc respondet Vossius Lib. I. de Idol. Cap. 37. credibile videlicet esse, in tam diversis Germaniæ populis alios Martem, Mercurium alios præcipuò habuisse locò. Adeò ut verisimile omnino sit, Martem apud Tencteros, Sueones, reliquosque Scandinaviæ peninsulæ incolas autoritate plurimùm va- luisse, Mercurium verò à cæteris Germaniæ populis pro summò numine habitum fuisse. Quòd superest, celebre Martis delubrum fuit ad Rhenum in Agrippinensi Colo- niâ, quò A. Vitellius Marti dedicandum misit pugionem, quò se Otho Imperator occiderat, teste Suetoniò in vitâ Vi- tellii Cap. 10. Sylvam quoque Martianam sive Hartzianam, item Marburgum Hassiæ, & Martisburgum Misniæ à Mar- te nomen accepisse, Althamerus conjicit in Taciti Germ.

§. VI.

Etiam Herculem ab Hermunduris celebratum fuisse cultumque, asserunt Dn. Lic. Rechenbergius in jam citatâ dissertatione elegantissimâ de Vet. Osterl. §. 37. & Knautbi- us in Prodròmo Misn. Illustrand. p. 380. Hunc eundem ac Martem fuisse, Cluverius putat Lib. I. Germ. Antiq. Cap. 38. Ast quòd minus rectè istud affirmetur, ostendit

Omei-

Omeisius in Dissertat. de Germanorum Veterum Theologia & Religione paganâ, habitâ in Acad. Altdorff. An. 1693. num. 1. p. 10. Fuit autem, ut *Aventinus* habet *Lib. I. Annal. Boj. Hercules* iste undecimus Rex Germaniæ Magnæ, *Alemannus* cognomentò *Hercules*, conditor primus Bojorum, cujus insigne Leo fuit, causa cognominis, unde & Leones alere nostris adhuc Principibus gentilitium esse ajunt. Eum primitùs non adorarunt, sed statuam duntaxat in ejus honorem posuerunt. Posterò tamen tempore cœlesti nomenclaturæ adscriptum, belloque præfectum *primum omnium fortium virorum* (ut *Tacitus* loquitur *Lib. de Moribus Germ. Cap. 2.*) *ituri in prælia cecinerunt.* Conf. *Elias Schedius de diis German. Syngr. III. Cap. 2.* Huic trans *Virsurgim* Sylvam fuisse sacram, iterum *Tacitus* testatur *Lib. II. Annal. Cap. 12.* qui idem author quoque tradit, ipsum *ac Martem concessis placare animalibus*, veteres Germanos solitos fuisse, *Lib. de Moribus Germ. Cap. 9.* Plures etiam *Hercules* à veteribus tradi, quorum quidem res gestæ uni *Alcmenæ* filio tribuantur, rursus *Schedius* refert l. c.

§. VII.

Progredimur nunc ad *Isidem*. De hac *Tacitus Lib. de Moribus Germ. Cap. 9.* ita scribit: *Pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Hic per Suevos *Christophorus Colerus* potissimum vult intellectos eos, qui ad *Istri* ripas habitantes, cum *Sarmatis* ad *Pontum* usque *Euxinum* excurrere creberrimè solebant. Sed taxatur is ideò prolixè à *Cluverio Lib. I. de G. A. cap. 27.* Alii verò Suevos *Semnones* hòc locò designari autumant, qui & partem *Saxoniae* superioris, item *Misniae*, ac alia quoque vicina loca inhabitarunt. Conf. iterum *Omeisius* in allegatâ *Disp. num. 11. p. 15.* Quæ sententia omnino etiam probabilior videtur, præsertim cum nonnullæ adhuc urbes supersint, quæ ab ipsa *Iside*
nomen

nomen haud ineptè putantur desumfisse, ut sunt *Isenbur-*
gum, Islebia & Isenacum. Verùm quæ propriè *Isis* fuerit,
arduum fortè foret definire. Sunt, qui dicunt, *Isidem* ean-
dem esse ac *Cererem*, teste *Diodorò Siculo Bibl. Hist. Lib. I.*
cap. 2. Sunt, qui *Terram* sive *Tellurem* per eandem intelli-
gunt, prout *Macrobius* censet *Lib. I. Saturnal. cap. 21.* ubi ver-
ba ita sonant: *Nec in occulto est, neque aliud esse Osirin, quàm*
solem, nec Isin aliud esse, quàm Terram. Sunt, qui *Isidem* nul-
lam aliam, quàm *Lunam* esse perhibent, quod *Cluverius*
in primis evincere conatur l. c. Sunt denique, qui *Venerem*
etiam (quam quidem *Friam* vel *Fream* dixere veteres Ger-
mani, unde & hodie adhuc *frien* sive *freyen* / it. diem *Vene-*
ris, den Freytag superesse ajunt, vid. *Cluverius l. c. pag. 196.*)
per *Isidem* denotari contendunt, uti *Plinius* refert *lib. II. H.*
N. cap. 8. cujus verba quidem hæc sunt: *Sidus Veneris' alii*
Junonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellavere. Nobis
impræsentiarum sufficiat, nosse, *Isidem* à Germanis olim
cultam fuisse. Quod autem per eandem ipsi numen di-
stinctè intellexerint, & cur ac quomodò eidem sacrificava-
verint, nolumus ob tam diversas Auctorum opiniones hîc
nimis curiosè indagare, sed lubet potiùs cum ipsò *Tacito*
ἐπέχειν, qui ipse, *parum se comperisse*, fatetur, unde
causa & origo peregrino sacro, nisi quod ipsum signum in mo-
dum liburnæ figuratum, advectam religionem docuerit, lib.
de Moribus Germ. cap. 9. Prætereundum tamen hîc planè
non est, quod *Aventinus* habet, *lib. I. Annal. Boj.* hæc de re
ita tradens: *Sacra Isidis administrabantur à Germanis; quip-*
pe Isis, mater Lybii Herculis, Regina Ægypti, post cædem ma-
riti, interitumque filii, in Germaniam ad Gambriivium ve-
nit, frumenta temerè incognita mortalibus inter cæteras ber-
bas nascentia reperit, serere, molere, terere, & inde panes con-
ficere docuit: Lanificii, & olei, & vini usum monstravit. Ob

B

id

id Dea credito, Suevique eam consecrarunt, proque Deâ colue-
runt. Plura de *Iside* qui legere cupit, evolvat præcipuè in-
tegrum *Plutarchi* librum de *Iside & Osiride*, item *Cyraldi*
Hist. Deor. Syntagma. XII. & Schedium Syng. I. cap. 9.

§. IIX.

Hertbum, vel potius *Hertbam* seu *Erdam*, quam *Vossius* *Lib. IX. de Idol. cap. 40.* antiquissimum Germaniæ nu-
men appellat, divinò quoque *Hermunduros* affecisse hono-
re, sunt, qui asserunt, etiamsi *Tacitus* eam præcipuè septem
illis Suevorum nationibus assignet, quæ proximè Ocea-
num, sive sinum *Codanum* inter *Albim* *Chalusumque* &
Viadrum amnes colebant, ut erant *Deuringi*, *Caviones*,
Angli, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones* & *Nuithones*. Hæc de
Deâ locò jam citatò ita *Vossius*: *Idem* (scilicet numen
Herthæ) *fuisse videtur ac Phrygibus Cybele, nempe mater De-
ûm: Sed Cybeles simulacrum constat fuisse tum lapidem in-
formem, tum mulierem capite turritò, sceptrum manu tenen-
tem, insidentem currui, cui leones jungerentur. At quale
fuerit Hertbæ simulacrum, soli erat cognitum sacerdoti, quia
vehiculò continebatur veste contactò; nec contingere Deam
alteri licebat. Nec Hertbæ currum subibant leones, sed boves
fœminæ, quo significabatur terræ fertilitas. Nam bos agri-
culturæ est Symbolum.* Quibus verbis sicuti multum adhuc
dubitare videtur laudatissimus *Vossius*, an etiam rectè *Her-
tha* vocetur mater Deûm, ita alii tamen authores illud è
contrariò disertè satis satisq; clarè affirmant. Cum quibus
inprimis faciunt *Macrobius*, qui *Saturn. lib. I. cap. 21.* *Quis
ambigat, inquit, Matrem Deûm terram haberi?* & *Cluverius*,
qui evolvendus ideò est *Lib. I. G. A. cap. 27.* Quod verò Ger-
mani per *Hertbam* nihil aliud quam terram intellexerint,
iterum *Tacitus* testatur, cujus verba integra hîc allegare,
abs re haud futurum est. *Nec quidquam, ait, notabile in sin-
gulis,*

gulis, nisi quod in commune *Hertum*, id est, *Terram matrem* colunt, eamque intervenire rebus hominum, in *vebi* populis arbitrantur. Est in insulâ *Oceani castum nemus*, dicatumque in eò *vebiculum veste* coniectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse *penetrali deam* intelligit, *vectamque bubus* *foeminis* multa cum *veneratione* prosequitur. *Leti tunc dies*, *festi loca*, quaecunque *adventu hospitioque* dignatur. *Non bella* ineunt, *non arma* sumunt, *clausum omne ferrum*: *pax* & *quies* tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos *satiatam conversatione mortalium deam templo* reddat. *Mox vebiculum* & *vestes*, & si credere velis, *numen ipsum* *secretò lacu* abluitur. *Servi ministrant*, quos statim idem *lacus* haurit. *Arcanus hinc terror*, *sanctaque ignorantia*, quid sit illud, quod tantum perituri vident. *Lib. de Moribus Germ. cap. 40.*

§. IX.

Et hæc de diis deabusque veterum *Hermundurorum*. Jam etiamsi nulli dubitemus, quin alia adhuc numina ipsi quoque coluerint, ut *Solem, Lunam*, (quam quidem ad eò sanctam Germani habuere, ut nec consuetudo nec fas fuerit, ante novam lunam præliò contendere, teste *Cæsare lib. I. de Bell. Gall. cap. 50.*) *Ignem* &c. Interim tamen cum pauca sint, quæ singulatim de horum cultu dici queant, meritò quoque abstinemus, in describendis illis esse operosiores, ne multa proferendò, affirmemus fortè, quod nullo certò fundamentò nitatur. Reliqua verò ad idololatriam *Hermundurorum* spectantia, melioris ordinis ergò reservamus sub finem dissertationis adhuc exponenda.

§. X.

Jam ad *Slavorum* Deos dum devenimus, veluti *choragum* inter eos *Suantewitzium* deprehendimus, utpote, qui cæterorum numinum creditus fuit antistes, & arbiter, cujusve ad oracula, quòd summæ putaretur bonitatis, insti-

tui omnia consueverunt. Vid. *Emserus in vit. Bennonis cap. 19.* Hunc ab omni natione Slavorum cultum fuisse, *Helmoldus* asserit in *Chron. Slavor. Lib. II. cap. 12.* qui idem ipse author de origine istius Deastri hæc refert: *Tradit antiqua veterum relatio, quod temporibus Ludovici secundi egressi fuerint de Corveja Monachi sanctitate insignes, qui Slavorum salutem sitientes, impenderunt se ipsos ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Per agratisque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum & sedes idololatriæ. Predicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, & in commemorationem sancti Viti, qui est Patronus Corveja. Postquam autem permittente Deo, mutatis rebus, Rani à fide defecerunt, statim pulsus sacerdotibus atque Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem ac servum Christi confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. lib. I. cap. 6.* Quibus verbis sicuti apertè satis indicat *Helmoldus*, quod *Suantewitzius* nullus alius fuerit, quàm sanctus Vitus, oder *S. Weit*/ita tamen *Emserus* è contrariò id ipsum nomen ex Slavorum linguâ derivare mavult, quando videlicet locò suprâ jam citatò demonstrat, *suante* obtinere significatum *sancti*, voculam verò *Wiß* luminis, adeò ut *Suantewitzius* significaret propriè *lumen sanctum*, oder *das heilige Licht*. Huic quotannis hominem Christianum, quemcunque fors objecerit, litasse, idem eòdem locò consignavit. Destruxit verò tandem hocce simulacrum *Waldemarus*, Rex Danorum, qui Rugianorum terrâ anno 1168. in potestatem redactâ, produci illud, missòque fune in collum ejus, per medium exercitum in oculis Slavorum trahi,

trahi, & frustatim concisum, in ignem mitti iussit. Idem Rex fanum quoque *Suantewitzii* cum omni istius religionis funditus delevit, ærariumque locuples diripuit. Conf. porrò *Helmoldus Lib. II. cap. 12.*

§. XI.

Juxta *Suantewitzium* maximos omnino honores detulerunt *Slavi Zerneboco*, teste *Emserò* l. c. Fuit autem hicce *Zernebocus*, sive Deus ater, Deus quidam malus, cujus in potestate adversa omnia fuisse posita crediderunt, ideò eundem invocantes, ne noceret ipsis, neque in hâc, neque in futurâ vitâ, prout *Pirnenfis Monachus* loqui amat. *Helmoldus Lib. I. cap. 52.* ita de eò tradit: *Diabol sive Zernebocb, id est, niger Deus, appellatus est à Slavis malus Deus, quoniam ab eo malam fortunam dirigi putabant, sicuti à bono bonam. Belbuchus seu Juterbocum, album ex adverso Deum, qui Auroram forsitan significavit, etiam his quondam in terris cultum fuisse, Albinus autumat Tit. XI. pag. 150. cui Knautbius quoque accedit in Prodr. Misn. Illustr. p. 378.*

§. XII.

Radigastum, celebre *Obotritorum* numen, etiam *Slavos* *Misniam* inhabitantes *Bennonis* potissimum temporibus præcipuâ quâdam religione coluisse, iterum *Emserus* author est l. c. Huic nomen à *Radigastò*, Rege quondam *Obotritorum* bellicosissimò, inditum fuisse, multi putant; etiamsi non desint, qui idolum Rege ipso antiquius fuisse, & hunc ab illò potius suum accepisse nomen, existiment. Veriorem tamen priorem esse sententiam posteriori, prolixè ostendit *Schedius Syngr. III. cap. 4.* Stetit verò *Radigastus* totus in urbe *Rethrâ* in fanò suò aureus, prout *Helmoldus* tradit *Lib. I. cap. 2.* Cum quò conferri maximè meretur antiquum *Chronicon Saxonie*, in quò idem Deaster hunc in modum describitur: *Capillis capitis avicula*

dispassis alis inhaerebat. Pectori tauri caput nigrum, gentis insignia, additum, quod dextrâ fulciebat. Sinistrâ bipennem jactabat. In hujus memoriam honoremve plurimis locis extructa templa, erectas statuas, ipsumque fluvium, qui Gadebuschum alluit, *Radigastum* fuisse nuncupatum *Bangertus* tradit ad *Helmoldum* p. 126. 127. ubi alia adhuc multa hęc de simulacrō Lector inveniet.

§. XIII.

Sequitur nunc *Irmensula*, vastissimum (prout *Wernerus Rolevincius Saxon. Antiq. P. II. cap. 3.* eam appellat) totius Saxoniae idolum. Statuam tamen illam etiam à *Venedis*, quos & *Sorabos* vocant, quondam cultam fuisse, *Ditmarus* affirmat *Lib. II. p. 18.* *Cranzius in Saxon. Lib. II. cap. 9.* Simulacrum istud ita describit: *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dextrâ signum militare (nostri vexillum vocant) preferens rosam, cujus breve momentum, & facilis ortus & interitus : ita eventus praeliorum. In sinistrâ libram expandit, dubiam pugnantium sortem, facilem huc illuc inclinantem : pectus inerme ursum praeferebat, interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat : floribus consito campo in quo stabat, quod nihil solet jucundius videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere. Caeterum de variâ denominatione, sede ac destructione, item de sacerdotibus hujus idoli, quemque Deum istud propriè repraesentaverit, ac plura de illō alia legi possunt apud *Henricum Meibomium* in peculiari, quem edidit, tractatu de *Irmensulâ Saxonica.**

§. XIV.

Inter idola, quae *Soraborum* gens suspexit, haud postremum quoque occupat locum *Cuttiberus* sive *Zuttiberus*, quem Faunum quidem fuisse perhibent. Huic cives quon-

quondam Martisburgenses vastissimum quercetum quod-
dam consecrarunt, in quò arborem violare, nedum cæde-
re, sub pœnâ mortis interdictum erat. Ibi quotannis cer-
tis diebus multi *Venedorum* convolabant, ut ipsi videlicet
Cuttibero sacrificarent, ad quod quidem eò melius perfici-
endum certi quidam sacerdotes constituti erant. Stetisse
verò lucus ille creditur usque ad tempora Wigberti, Epi-
scopi Martisburgensis tertii, qui extirpari tandem crema-
rique eum iussit, motus detestabili ethnicorum supersti-
tione, quippe qui sua hîc sacrificia peragere frequentissimè
solebant. Vid. *Brotusius in Chron. Martisb. Lib. 1. cap. 6.*

§. XV.

Prove seu *Prono* apud Wagrios præcipuè magnâ in-
veneratione fuit habitus. Huic à Brenno, Rege quodam
Germanorum antiquissimo, nomen fuisse inditum, *Sche-
dius* affirmat *Syngr. IV. cap. 11.* qui l. c. his veluti coloribus
eundem etiam adumbrat: *Stabat idolum columnæ imposi-
tum, alterâ manu vomerem, quo innocentia probari solebat,
rosei coloris albis discriminatum punctis, alterâ verò bastam
cum vexillo tenens. Tempora coronis redimita erant, aures
prominentes, pedes ornati, & sub altero tintinabulum pende-
bat.* Sacerdos idoli hujus *Wiche* s. *Wicse* fuit appellatus.
Lucus verò illius non procul à *Provenau* vicò in Wagriâ
sitò, distasse fertur, quem ipsum quoque pagum ab eodem
simulacro suum meruisse nomen perhibent. Vid. *Banger-
tus ad Helmold. p. 126.* Quomodò autem nemus istud fue-
rit comparatum, ac quo tandem modo à Geroldo, Episco-
po Altenburgensi, fuerit excisum, *Helmoldus* tradit *Lib. I.
cap. 83.*

§. XVI.

Crodo, quem teste *Vossio Lib. IX. de Idol. cap. 40.* Græci
Κρόνον, Latini verò Saturnum dixere, erat senex, stabat in
piscè,

pisce, quem persicum vocant, indufio amictus, nudis pedibus, & lineo vinculo cinctus: tenebat rotam & urnam, plenam frugibus & rosis, & pomis. Hunc Saxones præcipuè colebant in arce Hartesburg, propè civitatem Goslarensem. Urbem, *Harleben/* quam nonnulli quoque *Crodoleben* nominant, à *Crodone* descendere, sunt, qui autumant. Sed refutantur ii partim à *Schedio Syngr. IV. cap. 2.* partimque ab *Albino Lib. I. tit. II.* Tandem verò eversum fuisse hoc idolum à Carolo Magno, *Cranzius* affirmat *Lib. II. Saxon. cap. 12.* Qui author adhuc addit, remansisse tamen inter Saxones execrationis vocabulum, ut in detestationem rei pessimæ dixerint, *Crodo.*

§. XVII.

Flinfius s. *Flinz/* præcipuum quoque *Venedorum* numen, *silici prægrandi erat impositus, eam, quâ mortis imago pingi solet, formam præ se ferens: sed longo pallio tectus, manu gestans baculum, cum tumente suis vesica. At sinistro humero leo insidebat, per quem tandem à mortuis se excitandos barbari credebant.* Hoc idolum Lotharius Imp. & *Adelgottus*, Episcopus Magdeburgensis, apud *Lufatos* demum everterunt, cum ii videlicet christianâ procul religione abjectâ, vetustissimum istud simulacrum denuò renovassent, divinâ illud veneratione suspicientes. Vid. *Pirrensis Monachus & antiquum Chron. Saxon.* Quæ verò de origine hujus *Flinfii* *Schedius* sentiat, legi possunt apud ipsum *Syngr. III. cap. 7.*

§. XIIX.

Inter domesticos Deos, quorum nonnulli etiam *Sorabis* fuere, coluerunt quoque aliquem, nomine *Hennil*, qui *baculus quidam fuit, in cuius summitate manus, ferreum tenens circulum.* Hunc per omnes istius vici, in quo erat, domos circumferebant, ipsum eo potissimum tempore vene-

venerantes, quando epulis vocabant, ubi in primo statim introitu à portitore suo sic semper idolum salutabatur: *Vigila*, *Hennil*, *vigila*. Vid. *Ditmarus Lib. VII. p. 226. 227.*

§. XIX.

Cedutum, qui aliàs & *Zedutte* vel *Jodutte* dictus fuit, *Syngr. III. c. 6.* ita describit *Schedius*: *Statua insistebat armati viri effigies, cujus dextra manus castum, acutis ferruminatum stigmatibus versabat; sinistram clypeus munibat, cui Saxonie insignia, equus nempe niveus, roseo in scuto inbarebat.* Hic, etiamsi de origine ipsius diversæ sint sententiæ; verum tamen suum ortum debet *Lothario*, Duci Saxonie, qui postquam egregiam ab *Henricô V. Imp.* deportasset victoriam, in campô *Lerehensfeld* ad sylvam *Welpshesholß* / ubi commissa fuerat pugna, trophæum erigi, & ad rei illustriorem testationem sacellum juxta extrui curavit; quod ansam deinceps dedit rusticæ plebi, quæ aliàs ad superstitionem proclivis est, statuam modò dictam, tanquam veterem Saxonie Deum, colere, qui ipsis Saxonibus in cruentissimo isto proeliô suppetias tulisset. Quare & ipsum postea ab adjuvando (*malè intellectâ voce italicâ, io mi adjute, b. e. me adjuvate*) *Jodute* / & paulò post *Zedutte* nominarunt. Conf. *Cranzius Lib. V. cap. 36. Sax. item in Metrop. Lib. VI. cap. 7.*

§. XX.

Et hi *Slavorum* Misniam inhabitantium præcipui communiter creduntur fuisse dii, quos tamen cum aliis nationibus, prout in quòvis fermè paragraphò ostendimus, plerumque habuère communes. Nunc quidem addi iisdem adhuc possent *Rugievitbus*, qui idem videtur esse, ac is, quem alii *Rudianotum* vocant, cujusque in capite septem humanæ similitudinis facies confedère, *Porevitbus*, qui quinque capitibus instructus fuit, item *Hafibundus*, *Podaga* & alii, verum cum tanti momenti non sint, quæ de illis traduntur, nolumus etiam prolixis ejusmodi narrationibus Benevolum Lectorem diu detinere, quem tamen, si fortè plura legere de iisdem cupiat, ab-

C

lega-

legamus partim ad *Helmoldum*, qui *Podaga* mentionem facit *Lib. I. cap. 83.* partim ad *Albinum*, qui inter alios & *Hafibundi* meminit *Lib. I. tit. II.* ac partim denique ad *Schedium*, qui duos priores reliquos describit *Syngr. III. cap. 5.*

§. XXI.

Neutiquam verò prætereundæ prorsus sunt Deæ, quæ & his quondam terris à Venedis fuerunt cultæ. Harum autem inprimis numerantur tres, inter quas primum jam occupet locum *Siva* vel *Syeba*, quæ aliàs quidem apud Polabos, Herulorum gentem, summâ in veneratione fuit habita, teste *Helmoldo Lib. I. cap. 52.* Hæc ita describitur: *Stabat utrâque manu intergum rejectâ, alterâ uvam cum folio viridi, pomum aureum, alterâ tenens. Capilli per tergum ad poplites usque fluebant.* Ea Venus Polaborum fuit, cui lucum quoque dicatum ferunt. Vid. *Bangert. ad Helmold. p. 129.* Huic præter oves & boves etiam homines, & quidem christianos, fuisse immolatos, *Schedius* refert *Syngr. III. cap. 9.* At destructum tamen istud demum simulacrum fuit à Vicelinô, Episcopô Lubecensi, jussu Lotharii Imp. id quod *Albinus* testatur *Lib. I. tit. II.*

§. XXII.

Triglas s. *Trigla*, quæ eadem alioquin ac *Diana* fuisse putatur, Brandenburgensium præcipuè Venedorum idolum fuit, cujus in honorem templum quoque quoddam extruxere in monte Harlingorum, de quo *Sabinus* in *Lib. de Brandenburgo, Marchia Metropoli.* Fuit autem *Trigla* caput tribus imaginibus formatum, & Luna curvata in manibus; quod quidem idolum suo adhuc tempore (circa annum videlicet 1526.) in abditô quôdam loco extitisse, *Pirnensis Monachus* memorat. Huic equus generosus sacer fuit, ut *Schedius* refert, qui de eodem *Syngr. III. cap. 10.* sequentia tradit: *Erat equus nigri coloris, qui magnô studio à quodam sacerdotum curabatur, à quo in bellum ituri, rei eventum explorabant, certâ quâdam ratione. Sacerdos, cui equi cura commissa erat, novem hastas, spatii unius cubiti ab*
in-

in vicem distantes, in terrâ disponebat, ac per transversum equum freno ter ducebat, reducebatque: ac si nullo pedum ad bastam offendisset, felicitis belli omen erat. Notari verò hic maximè meretur, etiam in ipsâ Misniâ varia ejusmodi simulacra, quæ tres facies repræsentarint, quondam fuisse reperta, siquidem & tale quoddam in ponte olim Grimmensi stetit dicitur. Ex quo fanè colligi haud difficulter potest, quod Sorabi numen *Trigle* æquè quondam venerati fuerint, ac ipsorum vicini, licet iisdem ritibus, iisque ipsis ceremoniis factum id fortè non sit, quibus Brandenburgenses quidem colere Deam soliti fuere. Sicuti enim negari non potest, *Venedos* communia quamplurima inter se invicem habuisse idola, ita quoque dubium non est, quin ea ipsa simulacra pro diversitate locorum atque nationum diverso etiam cultu fuerint affecta. Conf. *Albinus Lib. I. tit. II.* Denique verò idolum *Trigle* (quod tunc temporis sine dubio non religionis, sed potius ostentationis causa adhuc reservabatur) à Christiernò, Daniae Rege, cum ille videlicet regno pulsus incertâ sede hinc inde exul vagaretur, Brandenburgò fuisse ablatum, *Sabinus* tradit *Lib. cit.*

§. XXIII.

Cizam s. *Cererem*, Deam mammosam & altricem omnium rerum, etiam à *Sorabis* quondam fuisse cultam, multis argumentis constat. Hujus de effigie parum legi relatum, *Vossius* fatetur *Lib. IX. de Idol. cap. 40.* Stetit verò fanum ejus *Citii* seu *Cizæ*, quam etiam urbem ab ipsa hac Deâ denominatam fuisse, nonnulli judicant. Conf. *Vossius l. c.* Quomodo autem fanum istud destructum tandem fuerit, *Knautius* recenset in *Prodr. Misn. Illustr. p. 296. 297.*

§. XXIV.

Hactenus igitur de numinibus veterum Misniæ incolarum. De *Sacerdotibus* etiam nunc pauca quædam addemus. Fuisse autem primò *Hermunduris* ejusmodi Sacerdotes, adversus *Cæsarem*, qui *Lib. VI. Comment. Bell. Gall.* in genere Germanis

nis eos denegat, exinde statim probatur; quoniam *Mercurio* ac *Marti* sacrificassedicuntur. Nunc autem eos promiscuè omnes sua peregisse sacrificia, tantum abest, ut credam, ut potiùs certos quosdam Sacerdotes constitutos fuisse, firmiter mihi persuadeam, qui hostias maclarint, easque diis obtulerint. Conf. *Schedius Syngr. II. cap. 23. & 31.* Ad quod accedunt disertissima *Taciti* testimonia, qui de *Hertbâ* expressè tradit, quod attingere illam uni tantùm *sacerdoti* concessum fuerit. Ubi paulò post & hæc addit verba: *donec idem sacerdos templo reddat. Lib. de Moribus Germ. c. 40.* Ast de vocabulo, quò suos appellare *Sacerdotes Hermunduri* consueverint, nunc quoque dispiciendum erit. Gallis suos dictos fuisse *Druidas*, *Cæsar* affirmat *Lib. VI. de Bell. Gall. cap. 13.* Cui & *Plinius* accedit *Lib. XVI. cap. 44.* Si tamen *Diogeni Laërtio* credere fas est, non minùs Germani, quàm Galli *Sacerdotes* suos *Druidas* appellarunt. Verba enim ejus in proœmio hæc sunt: παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τῆς καλε- μένης Δρυΐδας, καὶ Σεμνοθέης εἶναι φασί. Id est, apud Germanos quoque atque Gallos esse ajunt, qui *Druide* appellantur, id est, divina humaneque *Philosophia* periti, religionumque curatores. Quæ si vera sunt, etiam *Hermundurorum sacerdotes Druidas* fuisse nominatos, haud vano ducimur augurio. Fuit autem *Sacerdotum* horum apud Germanos tanta authoritas, tantave potestas, quanta nec ipsis Regibus Principibusque erat relicta, ut iterum ex *Tacito* cognoscere est, in *Lib. de Moribus Germ. cap. 7.* ubi his ipse utitur verbis: *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus libera aut infinita potestas; & Duces exemplo potiùs, quàm imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præfunt. Ceterùm neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu; sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Plura de his legi possunt apud *Cluverium Lib. I. G. A. cap. 24.* & *Schedium*, qui per totum ferè *Syngr. II.* fusissimè de iisdem agit. Habuisse tamen & *Slavos* su-

os *Sacerdotes*, non opus est, ut multis ostendamus, quippe quod quilibet facilè colligere potest, quodve passim jam tetigimus. Cum verò pauca de iis legantur notatu digna, etiam multa de illis tradere, meritò superfedemus. Summò tamen in pretio & ipsos fuisse habitos, ex *Helmoldo* fieri potest manifestum, qui evolvendus hac de re est *Lib. I. cap. 6. item cap. 37. & Lib. II. cap. 12.* §. XXV.

Supereft, ut jam *de locis sacrificiorum* nonnulla etiam dicamus. Fuerunt autem illa vel *luci* maximè, vel *flumina*, vel *fontes*. Ad *lucos* quod attinet, etiam *Hermunduros* tales habuisse, maximè ideò credibile videtur esse, quoniam communis apud veteres Germanos mos invaluerat, ut *lucos ac nemora consecrarent, Deorumque nominibus appellarent*, teste *Tacito Lib. de Moribus Germ. cap. 9.* Præterea quoq; verisimillimum omnino est, cum numina *Hermunduri* sua, cumque suos simul sacerdotes habuerint, ipsis quoque templa, in quibus celebrare sacra potuerint, fuisse. Conf. *Cluverius Lib. I. Germ. Antiq. cap. 35.* *Templa autem ista fuerunt sylva*, *Plinius* inquit *Lib. XII. cap. 1.* Verùm nec *Sorabos* suis caruisse *lucis*, istud potissimum nemo indicat, quod antiqui olim *Martisburgi* habitatores *Cuttibero* dedicarunt, de quo quidem in §. 14. jam mentionem fecimus. Dicti autem propriè isti fuere *luci Hagen* sive *Hayne* / quæ vocabula ex *ἀγος* Græcorum facta nonnulli volunt, unde & notissimos illos terminos, *Heegen* / *Seheege* / *Hack* &c. non malè derivari posse, existimant. Jam cum varia *Misniæ* oppida locaque adhuc supersint, quæ pari & denominatione & terminatione gaudent, ut sunt *Hayn* / *Haynich* / *Grün-Hayn* / *Welsger* = *Hayn* / *Tammen* = *Hayn* / *Ziegen* = *Hayn* &c. etiam longè plura ejusmodi *sacra nemora* his quondam in terris extitisse, ex ipsis his locorum appellationibus haud obscure videtur patere. Conf. *Albin. Lib. I. tit. 11.* Neutiquam verò quilibet electi fuerunt *luci*, sed illi tantum, in quibus vetustissimæ & maximæ molis quercus & robora florescebant. Sic enim *nihil Druidæ habebant*

bant robore sacratius, teste *Plinio Lib. XVI. cap. 44.* Sic quoque apud *Wagrios* inter vetustissimas arbores vidisse se sacras quercus, *Helmoldus* asserit, quæ terræ illius Deo *Pronen* fuissent dicata, quasque ambierit atrium, & sedes accuratior lignis constructa, continens duas portas. *Lib. I. cap. 83.* Et istos quidem lucos tam sanctos habuere, ut arborem in iis excidere, vel ramum solummodò, facinus fuerit ipsâ morte piandum; id quod *Claudianus* etiam videtur attingere, *Lib. I. de Laudibus Stiliconis* his utens verbis:

*Ut procul Hercyniæ per vasta silentia Sylva
Venari tutò liceat: lucosque vetusta
Religione truces, & robora, numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impunè bipennes.*

Imò quod clariùs testatur *Lucanus*, cum lucum aliquem Gallorum circa *Massiliam* inter alios etiam sequentibus persequitur versibus, *Lib. III.*

*Hanc jubet immisso sylvam procumbere ferro.
Sed fortes tremuere manus: motique verendâ
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secureis.*

Ptæterea verò & aras his ipsis in nemoribus fuisse positas, de veteribus præcipuè Germanis *Tacitus* affirmat *Lib. I. Annal. Lucis*, inquiens, *propinquis barbaræ aræ.* Eos etiam equos ibi aluisse candidos, nullòque humano opere contactos, quorum præfagia ac monitus experiri consueverint, idem author asserit *Lib. de Moribus Germ. cap. 10.* Cæterùm de lucis porrò evolvi poterunt *Cluverius Lib. I. G. A. cap. 34.* & *Schedius Syngr. II. cap. 23. & 24.*

§. XXVI.

Jam ad flumina quod spectat, Sacrosque fontes, maximè omnino notabile est, quod de *Hermunduris Annal. Lib. XIII. cap. 57.* hunc in modum refert *Tacitus*: Eâdem æstate inter *Hermunduros Cattosque* certatum magno prælio, dum flumen, gignendo sale fœcundum, & conterminum, vi trabunt; super libidinem cuncta armis agendi; religione insitâ, eos maximè lo-

cos

que
er-
di-
on-
lu-
um
lau-
his

cos propinquare caelo, precēsque mortalium à Deis nusquam pro-
pius audiri. Neque verò minùs, Soraborum circa fontes, si con-
sideremus superstitionem, notari merentur, quæ *Ditmarus*
tradit de fonte quòdam, qui propè Lommacium, quod mihi
patria dulcissima, vel hodie adhuc cernitur. Utitur autem his
præcipuè verbis dictus Episcopus: *Glomazi est fons non plus*
ab Albi quàm duo milliaria positus, qui unam de se paludem ge-
nerans, mira, ut incola pro vero asserunt, oculisque approbatum
à multis sepè, operatur. Cum bona pax indigenis profutura, hæc
terra non mentitur fructum, id est, triticò & avenâ & glandine
refertus, latos vicinorum ad se crebrò confluentium efficit animos.
Quando autem sæva belli tempestas ingruerit, sanguine & cinere
certum futuri exitûs indicium præmonstrat. Hunc omnis incola
plusquam ecclesias, spe quamvis dubiâ, veneratur & timet. Lib. I.
p. 1. Eadem etiam hoc de fonte ex *Erasmò Stellâ Albinus* recen-
set *Lib. I. tit. 7.* ubi hoc tantummodò adhuc additur, Sorabos
videlicet hoc loco suos quoque Deos certis placare sacrificiis
solitos fuisse. Quòd verò & fana Sorabi habuerint, in quibus
idolis ipsi suis reverentiam exhibuerint & venerationem, tem-
plum cum primis *Cizæ* indicat, cujus quidem in §. 23. jam me-
minimus.

§. XXVII.

de
anal.
s ibi
præ-
Lib.
runt
§ 24.
ximè
XIII.
Her-
z, gi-
er li-
nè lo-
cos

Tandem, quamdiu *Misnicâ* hæc in tellure cultus iste idolorum durave-
rit, ut paucis adhuc exponamus, operæ quoque pretium erit. Primus ita-
que omnium, qui gentes hîc habitantes ad veri Dei cognitionem addu-
xit, fuit *Winifridus*, natione Anglus, cui postea cognomentum, *Bonifa-*
cius. Is circa confluentes *Elystri* atque *Plissæ* fluvios in honorem *D. Ja-*
cobi sacellum extruxisse dicitur, teste *Peiferò* in *Orig. Lips. Lib. III. §. 2.*
Occisus autem postremò fuit à *Frisiis*, quorum quamplurimos ad fidem,
jam converterat. Vid. *Adam. Bremens. Lib. I. cap. 8.* Quod orsus ipse
tum fuerat religionis negotium, ad finem perducere aggressi sunt *Carolus*
M. hujusque filius, *Ludovicus Pius*. Quæ etiam res, quamvis non sine mul-
tò periculò atque labore fuerit; tamen ex votò tandem ipsis cessit. Ast
neutiquam in fide diu *Sorabi* tunc perstiterunt; quin potius suavi *Chri-*
sti jugò excussò, ad avitam superstitionem subinde fuerint reversi. Sed
ita tamen in ordinem eos redegegè *Henricus Auceps*, tantoque patri haud
impar filius, *Otto M.* ut extirpatâ *Slavorum* idololatriâ, religio Christiana,
licet

27 1/2 1159

licet variis jam Pontificiorum ritibus spectaculisque involuta, per totam Misniam resurgere cœperit. Conf. *Peiferus l. c.* Cum verò labentibus annis quædam nihilominus regerminare superstitio inciperet, quod ex *Ceduti* exemplò patet, qui seculò primùm duodecimò sua sumsit auspicia, & *Flinſii*, qui eodem tempore à Lusatis fuit renovatus, ultimam exterminando paganismo impendit operam *Lotharius Imp.* utpote qui *Flinſii* simulacrum An. 1126. penitùs destruxit, cum quò omnis idolorum cultus simul quoque expiravit. §. XXVIII.

Non abs re tamen fuerit, unicum breviter adhuc annotare; harum scilicet terrarum incolas in crassissimâ ignorantia & simplicitate hærentes, nihilominus retinuisse *spem futuræ resurrectionis*, id quod, *Hermundurros* si spectes, satis testatur *Lucanus*, quando videlicet ob eam ipsam alterius vitæ fiduciam singularem in præliis audaciam, mortisque contemptum in genere Germanis sic attribuit:

- - - *populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo: quæ ille timorum
Extimus haud urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum est, reditura parcere vitæ.*

Conf. *Phil. Camerarius in Hor. subcist. Centur. III. cap. 65.* Ad *Slavos* autem quod attinget, etiam illos resurrectionem mortuorum credidisse, ex eò statim apparet, quoniam non solum *Zernebocum* ideò colebant, ut mala omnia cum hujus tum futuræ vitæ ipsis averteret; verùm etiam quòd per leonem istum, qui sinistro *Flinſii* humero impositus erat, à mortuis se aliquando excitandos, firmiter persuasi erant, Conf. §. 11. & 17. *dissert. nostræ.* Quod autem non omnes peræque ac non semper hanc suam foverint sententiam, ex *Ditmarò* potissimùm constare potest, ut qui de *Slavis* disertè satis asserit, ipsos cum morte temporali omnia putasse finire. Lib. 1. p. 8.

§. XXIX.

Atque his de idololatria veterum Misniæ incolarum, quæ instituti nostri ratio exigere videbatur, expositis, pedem figimus, Deo ter Optimo Maximo debitas imprimis easque immortales decernentes gratias, quòd Majores nostros tandem ex Cimmeriis istis paganismi tenebris liberatos in clarissimâ evangelii luce locare, & dispulsâ impiæ superstitionis caligine, animos nostros beatâ sui cognitione & servatoris nostri Jesu Christi illustrare voluerit. Ipse etiam porrò verbum suum purum nobis servet evangelicum, Ecclesiam tueatur, Rempublicam quoque incolumem esse jubeat, atque ab omnibus adversis tempestatibus sævisq; armorum turbinibus immunem præstet, ut Misnia, charissima ista patria nostra, nullò non tempore floreat feliciter!

C O R O L L A R I A.

- I. Studium historicum ob summam ejusdem & utilitatem & jucunditatem meritò commendatur.
- II. Non possumus accedere *Cluverio* Lib. 1. G. A. cap. 29. statuenti, Priscos Germanos unum, verum, æternum Deum in trinitate coluisse sub *Solis*, *Lunæ* atque *Ignis* numinibus.
- III. Leges sumtuarias in Republicâ observari, utile est.
- IV. Proverbium: *Nemo saltat nisi ebrius*, minùs rectè asseritur.

S. D. G.

W.C.



am
bus
lex
cia,
mi-
fi-
ltus
rum
ren-
ndu-
alte-
tem-

od at-
onia.
ita
to in-
17.
verint
s affe-

i ratio
inpri-
x Cim-
dispul-
ris no-
bis fer-
beat, at-
em præ-
r!

tò com-
os unum,
minibus.

ULB Halle 3
003 584 097


Pau. dig.

1077





3 QK.4.7
d. 14, 7.

VET
IN

Ampli

AC

M. AM

ESAIAS

d. X.

Literis

NIAE

phici

SI

nelß /

n. Misn.

I.

RI.

Vc
1159

U. 10. 6.

